



PHARMACOLOGICÆ  
SEU  
MANUDUCTIONIS  
AD  
Materiam MEDICAM  
LIBER QUARTUS.

*De Anthropologia.*



*Anthropologia est pars Pharmacopœiæ, quæ Medicamenta ex humano corpore desumpta recenset.*

Reliquis omnibus materiæ medicæ partibus absolutis, superest tantum ut de Homine agamus, totius universi compendio, ultima ordine non dignitate hexaemerae creationis parte, cujus gratia reliqua omnia facta fuisse creduntur; de quo in genere agere, aut universalem tractatum

edere mihi in animo non est. Sed ut in præcedentibus tribus hujus opusculi libris, seu partibus, ad ea duntaxat, quorum aliquis in medicina usus est, tractanda memet restrinxi, ita etiam hoc in loco de iis solummodo in homine agam, quæ homini ipsi medendo utilia sunt: Ea autem vel à vivo corpore desumuntur, vel à mortuo.

SECTIO